



~~G.17.2.~~
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
W-59.

SIGNAT. 1615 CCCXIII.



de-
liu,
das
em,
nsi-
ra-
pa-
um
di-
do,
od
omi
em
imi
em
nos
a in
ma.
cui,
tro-
ar-
en-
gna
obis

Q. D. B. V.
JUS TALIONIS,

PRÆSIDE
M. HERMANNO WITTE,

Riga-Livono,

Publicæ eruditorum disquisitioni
subjiciet

RESPONDENS,

MARTINUS SCHICKERDT,
Bistricio Transylvanus,,

Die XXII. Novembr. Anno M DC XC.

H. L. Q. C.

WITTEMBERGÆ,
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



PROOEMIUM.

Us quoddam à summo rerum Moderatore mortalium mentibus ab
ipsis Mundi primordiis inscriptum esse, nemo est, qui iverit inficias;
quod, cum, amissâ imagine divinâ, ignorantia horrore admodum
depravatum sit, rudera tamen hujus in iisdem residua mansisse, opera
legibus conformia luculentissime docent, suffraganturq; modo dictis
divinarum literarum pandectæ, Gentiles dñmns fecisse naturâ ~~et id~~
~~et id~~, quo legem cordibus illorum inscriptam testentur, adeò, ut sint
~~αντολόγυτοι~~. Huc facit illud *Josephi Lib. XVI. Originum cap. X* perpetua
ac universalia jura à Superis mortalibus esse communicata: nec abs re
Pythagoras, quæ sacra sunt, nobis naturam monstrare, docuit. Verum
notatu dignissimum illud *Lactanti Firmiani*, quod ex amissis lib. *Ciceronis*
de Republica deponit: Legem naturæ nil esse aliud, quam rationem
rectam, naturæ congruam, in omnes, quos terra aluit, mortales diffu-
sam, constantem, sempiternam, cuius officium est homines vocare ad
officia, jubendo & vetando, fraudeq; deterreat, quæ probos frustra
neq; jubet aut vetat, nec improbos vetando aut jubendo movet. Huic
legi nec abrogari fas est, nec derogare quid licet, neq; tota deleri pot-
est. Nec vero per Senatum aut per populum solvi hac lege possumus,
neq; est quærendus explanator aut interpres ejus alius. Nec erit alia
Lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed & omnes gen-
tes & omni tempore una lex, & sempiterna, & immutabilis continebit,
unusq; erit communis quasi Magister & Imperator omnium, DEUS.
Ille legis hujus inventor & lator, cui, qui non parebit, ipse se fugiet, &
naturam hominis adsperrabitur, & hoc ipso maximas luet pœnas, et
iam si cætera effugerit supplicia. Illa vero lex nil erat aliud, (commentante
Horneio de subiecto juris naturæ cap. 7. thes. 29. Conf. loc. in eodem tract. cap.
1. thes. 18. & de Civit. lib. 2. cap. 2. thes. 5.) quam humanæ voluntatis re-
stitudo, quæ constabat ex congruentia exquisitissima cum regulis
intellectus ac ivi, quæ se metiuntur ad prototypum sanctæ divinitatis,
amissa verò hac bonitate voluntatis, superest nihilominus adhuc
proxima regula deperditæ justitiae in principiis practicis juris
naturalis, quæ servant antiquam originem, quam habuere, Dei san-
ctitatem. Ast de discentibus plerisque ipsam naturam, quæ homini-
ni, hominem non esse laddendum præscribit, summo Legislatori pla-
cuit, effrenata ac leonina indole præditos arcere, ut naturæ legibus

obtemperare renuentibus divinarum tabularum observantiam tantò magis incutiat. Id quod nostrum est institutum ex aliis, quæ scripturæ legibus & rectæ rationis dictaminis subjacent, proponere Jus Talionis, & utrum illud tolerandum inter mansuetudinis studiosos, demonstrare. Ut vero commodius, quem nobis proposuimus, scopum attingamus explicita primum Juris illius natura, valorem hujus modernum penitus paulò expendemus. Adspira ceptis ò Luminis ac Sapientiæ Fons, quò illa felicius ad finem exoptatum perducantur.

I. Cum appellationes rerum picturæ quasi quædam sint & testæ, testante Platone in Cratyllo, item Aristot. lib. i. post Analyt. cap. 4. præter rem non fuerit, si, antequam ad ipsa adyta dissertationis nostra deveniamus, pertractandi thematis definitionem indagemus, ne statim in limine hallucinemur. Talio itaque est, si Pythagoram sequaris, per quam quis patitur reciprocè, quod intulerit alteri, quare & Pythagoricum jus dici consuevit; quippe maximè id ipsum ursisse legitur, nec justitiam ac jus aliud quid, quam talionem esse, contendit, Rhadamanti autoritate nisus, ut & Æaci ac Minois, Judicium infernalium, quorum sententia versiculo sequenti exprimitur:

Ἐνε πάθοι τὰ κακάς δίνε τὸ ιδεῖα γενότο.

Si patiatur, quæ fecit, justitia recta fuit.

Unde & aliis dicitur repassio, retaliatio. Vid. Acciajol. Commentar. in Aristotelis Ethic. lib. 5. cap. 5. p. 379. §. 44. item Michaelis Epobosi in Moral. Aristot. Lib. V. §. 4. p. 281. ut & Seneca Lib. V. Conrov. Prefat. Si justissima quis patiendi vice, quod alieno excogitavit suppicio, suo expiat, Talionem stabilire atque describere attentat; Polybius in excerptis Peirescianis Lib. XII. πίνεται γὰρ γεγονὼς καὶ απαράστητος ἐπιτιμητὸς τῶν πέλας εἰνότως ἀνὴρ υπὸ τῶν πλησίον αὐτὸς απαράστητος τυχάναι κατηγορίας, i.e. Cum alias ipse acerbè atq; inclementer objurgare soleat, jure merito ab aliis pari inclemetia tractabitur.

II. Verum sententia Pythagoreorum non subscribit Aristoteles, dum illorum talionem, quam ἀντιπεπονθός idiomate græco nuncupavere, prorsus rejicit. Sic enim docet Lib. I. Ethic. ad Nicomachum cap. 5. p. 151. Δοκεῖ δὲ τοῦτο καὶ τὸ ἀντιπεπονθός ἔνας απλῶς δίκαιον ὥσπερ ἡ ποθαγόρειος Ἐφασαν ἀριζόντο γὰρ απλῶς τὸ δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθός ἄλλως, τὸ ἀντιπεπονθός γηνὲ Ἐφασμότει οὐτε διαφεμητικὸν δίκαιον, οὐτε τὸ διορθωτικόν. Rationes, quibus hujus non ultimi subselli Philosphi, ut & asséclarum ejus sententiam refellit atq; infringit, sat habent pon-



pondoris; quippe minus accuratè τὸ ἀντιπεπονθός, jus esse contendunt, nullā distinctione adhibitā, nulloque additamento, ut retaliatio, quā sit proportionē quādam, jus intelligeretur. Nulli quippe juri, nullique æquitati conforme est, ut singuli ea, quā fecerint, absolutè repantur. Neque verò hoc distributioni, nec emendationi convenit, in quā ipsum jus dividi amat, utrumque nimirūm proportionē constare notum est, alterum geometricā, alterum arithmeticā. Retaliatio verò, si Pythagoram sequaris, nullā sit proportionē. Nec distributio juri id convenire indē liquet, quippe quod in illo æquum justumque spectetur pro uniuscujusq; dignitate; in repatiendo vero nulla dignitatis habetur ratio, stolidum omnino saperet, frigidique admodum foret judicii, si mancipium quoddam extrema fortis, virum ingenuæ indolis probitatisque conspicua uno percusserit i&t;tu, & alter unico saltē repercutiendus censeretur, vel sacerdotem calcibus contuderit. & isti eadem contumelia inureretur: Emendativo juri quoque dissona audit talio, quo legimus cautum, ut idem alter perferat malum, quod vel machinatus est, vel intulerit alteri, e. g. ut dens eruatur dente alium privanti, sed tamen determinatè astimandum præcipit, quanti dens seu oculus veneat, idque à lādente exigendum lāsoque attribuendum, sive pecunias sive aliud quid lāso obtulerit pro iudicis moderatione, quo de in sequentibus fusius. *Conf. Michaelis Ephesi in Moml. Aristotelis Lib. V. Comment. cap. V. ex editione Samuelis Rabelii p. 281. plura, quibus confutantur hypotheses Pythagore, argumenta vi- de sis apud Wendelinum Philosoph. Moral. Lib. I. cap. 30. § 65, seq. p. 950.*

III. Jus vero omnino appellari potest, justa si observetur propria, quoniam, suffragante Giphano in arg. ad Loc. 5. Etb. Arist. quem citat. Henniges in observat. ad Hugonem Grotium de J. B. & P. Lib. I. cap. 1. p. 38. Jus nil aliud est, quam justa aëlio, sive factum ex justitia & habitu suo manans, eiisque congruens: Quandoquidem jus est habitus, sive con- stans jus & perpetua voluntas suum cuique tribuendi, quae antecedit natura ac tempore indē profluentem actionem. Id forsitan non præter rem fuerit annotasse, non accipi à nobis justitiam in sensu im- propreo, pro instinctu homini cum bestiis communi; nec ab usivè, pro æquali prædæ divisione; nec theologice, pro justitia sive legali, sive evangelicā: sed philosophicè, & moraliter, pro tali justitia, qualis in comuni hominum societate deprehenditur, qua homines redduntur prompti ad perficiendas actiones justas; eaque non in universalī sive

legali, quæ notat habitum conformandi actiones ad præscriptum legum, sed particulari; Quod elegantissime pertractavit prælectione morali Excellentissimus moralium P.P. Röhrensee / Patronus atque Præceptor meus ad cineres usque Devenerandus. Sed in his pedem figo, hoc saltem ostensurus, talionem omnino Juris venire nomine, quoniam justitiae ex memoratis maximè esse consentaneum constat, juxta illud, qvod in proverbium abiit: ne feceris alteri, quod tibi fieri nolis.

IV. Nec obstat, quò minus talionem ita describamus, quod malum sit passionis, adæquatum malo actionis, si nempe subjecti patientis habetur respectus: in quam sententiam quoque abiit Hugo Grotius Lib. II. cap. XX. de J. B. & P. Talionis namque acceptæ, ut est species pœnæ, conceptus indeterminatus sive genericus est malum passionis, atque adeò eidem idem competit genus, quod pœnæ. Differentia hujus in aprico est, quidem ex vocabulo adæquati patet pœnam delicto esse commensurandam. Ut ut verò non semper cuiuslibet pœnæ inseparabile proprium rō adæquatum est, præsertim ubi ex benigna judicis sententia sapientiæ numero mitigantur pœnæ delinquentibus, atque augentur ad statuenda exempla quædam, ceu obices malitiæ, quoniam crescentibus delictis crescunt & pœnæ: Talionis tamen requisitum necessarium atq; essentiale est adæquatio, quod græco vocabulo accuriatius per rō ἀντιπεπονθός exprimitur. Aristot. Lib. V. Ethic. ad Nicomach. cap. 5. p. 150.

V. Neque vero per adæquatum illud adstruimus, justitiam distributivam in talione simplici habere locum: quippe in distributione, propriè non datur hoc pro illo, sed quod omnium antea erat, singulis tribuitur. Quare Aristoteles hoc adeò autumat manifestum, in distributiva scil. nullam esse talionem posse, ut nullam adhibeat rationem. cap. V. ib. 43. Nam quando thesi sequenti ait: multum interesse, an quis magistratum gerentem percusserit, an plebejum, si illud? non modo iterum percutiendum, sed & suppicio adficendum, de commutativa justitia loquitur, quæ scil. in talione proportionata fundatur, cui seite satis, nec sine rationibus munitus Accipiter in comment. ad Aristot. lib. Ethic. 5. p. 379. §. 45. calculum suum adjicit. Quamvis autem sententia hæc male habeat interpres quosdam, quos inter Eustathius existit, Interpres Græcus hoc pro se addicens: Magistratum subditos percutientem nunquam censeri repercutiendum, ve- rum

rum subditos verberantes magistratum non modo vapulare recipere, verum & atroci sapienti supplicio affici; attamen levi momento hujus exploditur ac diluitur argumentum ex commutationibus voluntariis, & quidem commerciorum. Emotor enim nunquam recipiet, quod venditori dedit simpliciter ac absolutè, sed hoc saltē agit, ut illud reportet, quod bonitati rei illius ex æquo respondeat, quam scilicet rem dedit ille venditori, idque sic extra omnem controversiam statimare possumus, quoniam, si simpliciter commutations illæ manenerent, omnes illico Republicæ contagio quodam corruerent. Si Platonii *Lib. 2. de Republ.* & Aristotelii in *Ethic.* cap. V. lib. 48. fidem habere velimus, non potest civium alter cum altero quid ita permutare, ut idem vel numero, vel specie reddat, quod accipit. Eum autem in finem instituuntur commutations, ut alter ab altero accipiat, quo indiget, quod apprimè observatum comprehendimus à citato Philosopho *Polit. cap. 6.* Ideò frumentum agricola non dat opifici, ut recipiat frumentum, sed quod pretio hujus, & mensuræ judicij vendentis respondet. *Quo de conf. Hornej. Pbil. Moral. Lib. III. cap. 13. de justitia commut.*
§. 25. pag 514.

VI. Stante hoc labuntur aliorum rationes, qui ad justitiam distributivam referre talionem conantur. Nam quod distribuitur, id, cum sit totius communionis, inter membra dividitur, quod videre est in pecunia publica, agris hostibus erexit, honoribus, dignitatibusque, quas confert respublica, oneribus, quæ civibus imponit, & similibus; At vero tale quid non sunt poenæ; quis enim arbitraretur hanc esse poenam, de quibus inter se participant æqualiter cives? Proinde quod distribui solet, id unicuique idcirco confertur, quia civitatis partem representat, & membrum hujus est, ast nemo adficitur supplicio, quia civis, membrum, ac civitatis pars existit, nec tenetur poenas perferre, ut quæ, sed ut qui, quia deliquit. Illud adhuc, quod nobiscum sentientibus pollicem premat, superaddere juvabit. Quicquid distribuitur, ejus pars quotacunque & portio omnibus & singulis cedit. Atqui poena nunquam irrogantur civibus omnibus ac singulis, ut singulis suæ imponantur poenarum portiones. Ideoq; non cadunt sub justitiam distribuentem. *Vide Pufendorff. de J.N. & G. Lib. I. cap. VII p. 127.*

VII. Sunt, qui talionem irrogandam quoque censem proportione geometrica, cuius natura est, ut pro inæqualitate personarum seu dignitatis, civium in Republica inæqualia etiam præmia sint & onera, ita



ita ut majus præmium ferat, & majus onus sustineat, qui major; mi-
nus, qui minor: quæ sententia placet Kekermann in System. Etb. Lib. II.
cap. 5. ut & Alstedio in Syst. Etbico. cap. 24. nec suis destituti videri vo-
lunt rationibus, cum in propatulo sit, judicio & calculo omnium, vir-
tutem consistere in sola mediocritate rei ac rationis simul: Mediocritas
autem rationis inter cæteras circumstantias etiam persona conditio-
nem includit. Verum minus accuratam hanc dicimus esse senten-
tiam, etiamsi quadantenus certis modis ac respectu diverso admitti
possit, si nimirum delicta modum non excedant. Qvare non sine
ratione in aliorum sententiam concedimus, qui Arithmeticam desen-
dunt proportionem, ne autem injurii videamur in hos, qui Geome-
tricam tuerintur, tanquam sine clypeo pugnantes, coeco quasi impe-
tu in alienam sententiam nos dedisse præcipites, paucis, qvid incon-
venientiæ altera secum ferat, demonstrabimus. Si pœna debeat su-
mi atque imponi secundum proportionem geometricam, pro eodem
delicto; Nobilitate ac libertate clarus, acrius, ignobilis & servus & ex-
tremitate nequitæ mancipium mitius erunt puniendi, qvod juri & æqui-
tati, ipsis antagonistis fatentibus, est dissonum, perinde si fornicator
ad pœnam ob commissum flagitium duorum florenorum condemnata
tus esset, adulter simplex quatuor florenorum pœnam daret; adulter
duplex octo solvere teneretur, incestuosus ad sedecim florenorum
solutionem adstringeretur; illa proportio omnino geometrica esset
servata; sed quis contendere auderet, delicta ac crima tanta justè
justisq; pœnis promeritis esse punita? Equidem Geometrica propor-
tio dextre observata videri posset. Nam prout persona se habet ad
personam, delictum unius personæ ad delictum alterius, ita sese ha-
bet pœna unius ad pœnam alterius: sed tamen non justa pœnarum est
exsecutio, nec justæ crimina sunt punita. Contendat autem quis, pri-
mo fornicatori pœnam non sufficientem esse injunctam, ideoque nec
cæteros justas dedisse hac proportione svadente. Sed Resp. Unde
æstimabimus, qvanta primo nim. scortatori infligi debeat, si in pœ-
narum inflictione, sive sumtione sufficiat proportio geometrica: hæc
enim tantummodo monet, ut totuplo major sit pœna secundi, quam
est pœna primi, qvotuplo crimen secundi excedit atrocitate deli-
ctum primi. Qvanta vero sumi debet tum à primo, tum à secundo,
nondocet, nec exprimit proportio modò dicta, nec potest, ne c debet:
qvare, quæ justa sit, judicio sano relinqendum ac committendum
erit,

erit, hujus enim est decernere, quanta pœna delectatur fornicatori, quanta adultero simplici, quanta duplici, quanta denique incestui; & hoc ferre judicium non est aliud, quam pœnam adæquare delicto, i.e. rem rei adæquare. At hoc officium est proportionis Arithmeticæ; hæc enim svidet, ut tam nobilis, quam qvivis alius tantum puniatur, quantum damni alteri intulerit, ut pœna simpliciter æqualis sit delicto. Etiam si vero nobiliores aliò pœna genere puniantur, quam plebeji, injustus tamen non erit puniens, quoniam in homine ingenuo adeò gravis est v. g. relegatio, quam in extremæ nequitiae mancipio pœna qvædam corporis afflictiva. Sit igitur unum idemque nebulonis atque nobilis delictum, *Quoniam* saltem hic mitiorem pœnam reportat nobilis, si nebulo fustibus cedatur, nobilis numero ac conversationi honestorum excludatur, pœna omnino æqvæ est gravis, & æquilibrium servat satis accuratum; tanti quippe facit ignominiam exclusionis ex cœtu honesto; nobilis, quanti servus fustes; qvæ sententia rationi æqvitatique cum sit conformior, eandem sequitur nulli dubitabimus. *Consul. Arist. cap. 4. Lib. V. Ethic. Thom. Aquin. Lett. 6. & 8. in Ethic. Aristot. item Acciagolus in Comment. ad 4. cap. Lib. V. Ethic. Aristotelis p. 371. & seqq.*

VIII. Quamvis autem in defendenda sua sententia mirificè desident autores, distinctione tamen superius à nobis adducta Eridis pomum his eripit, lumenque satis magnum menti nostræ adserit, si nim. simplex atque proportionata talio ritè explicitur, quæ commode adhibetur distinctione à Scriptoribus, qvibusque accuratiōribus, qvos inter vide *Hornejum Doctrin. Moral. Lib. III. cap. 13. §. 25. pag. 573. & seqq.* Simplex enim accipitur ita, ut consistat in passione plane èadem cum actione, de qua agit A. Gellius Lib. 20. *Noctium Atticarum cap. 1.* Si membrum rupit, ni cum eo pácit, talio esto. Et summus rerum Arbitr̄, ac Legislator, Deus. *Exod. 21.* Redde vitam pro vita, quam in legem, cui talionem simplicem dispensare nemini licere, cavit; qvod postmodum prolixius exponendum. Proportionatam vero hanc dicimus, quando quis specie non èadem, astumatio-ne tamen luit, quæ perpetrat, vel alteri intulit. Hujus quoque usus frequentior in vita civili, quam alterius hodiennūm invaluit; ad quam vix unquam devenitur, nisi actionis malum veniat inæstimabile; e. g. homicidium spontaneum ac frivolum aliam æqvivalentem expiatio-

nem non invenit , nisi vitam hujus , qui alterum vita privavit . Quid autem homo non dabit pro vita ? quare necessitate etiam morali ad simplicem talionem fiat progressus , necesse est , nim. ut homicida capitalem det poenam . At qui alterum privavit oculo , aut membrū eidem mutilaverit , eandem sanè poenam vix sibi pollicebitur , delictis his pecuniaria poena multoties expiatis . Nec in quōvis criminе simplex illa stabit . Adulterer enim thorum conjugalem proximi conspurcans , juxta talionem simplicem non aliā ratione lueret delictum , nisi maritus adulteræ factō reciprocō contaminaverit thorum adulteri , quo hic suum ; Quod cum à lege dissentiat & honestate , omnemque justitiam conculceret , impium omnino foret admittere . Quapropter non abs re *Favorinus apud A. Gellium Noct. Attic. Lib. XX. cap. i.* hoc in talione desiderat , quod præter ulciscendi acerbitatē non procedere exse-
cutio justa talionis possit ; Nam cui membrum ab alio ruptum est , ait , si ipsi itidem rumpere per talionem velit , disquirendum prius , utrum efficere possit rumpendi pariter membra æqualitatem vel mensuram ; qua in re difficultas est inexplicabilis . Quid si quis mem-
brum alteri imprudens ruperit ? quod autem per imprudentiam fa-
ctum est , retaliari per imprudentiam debet , ictus qvippe fortuitus & consultus non cadunt sub ejusmodi talionis similitudinem ; quoniam igitur modō imprudentem imitari poterit , qui in exæqvanda talione non licentia jus habet , sed imprudentia ? Sed et si prudens ru-
perit , nequaquam patietur aut altius se lædi , aut latius , quod cujus-
modi libra vel mensura reperiri possit , non reperio ; qvin etiam si quid plus aliterve commissum , res fiet ridiculæ atrocitatis , ut contraria , actio mutuæ talionis oriatur , & adolescat infinita quædam reciproca-
tio talionum , qvapropter reo non secundum simplicem talionem poena diætanda , sed potius juxta proportionatam . Sic nec Grotii sen-
tentiam aliò detorquendam esse censemus , nisi quod demonstratum , ad proportionatam .

IX. Considerata itaque talione in sua natura atque divisione non inepte in frontispicio statim quærimus : UTRUM LICITUM SIT TALIONEM HODIENUM EXERCERE ? Sermo quidem nobis non est de ea ex privata vindictæ cupiditate prognata , qvam divi-
narum legum pandectis expresse interdictam legimus , & summo re-
rum Arbitro , ac Legislatori nati greci , magistratui nati civesq[ue] re-
lin-

linquendam esse, cautum est; Deo enim privatè se vindicans jus suum eripit. Quid? qvod vindicare injuriam illatam illius est, qui potestate est superior: at privatus injuriis adfectus non est superior privatò adficiente. E. Scilicet actus ejusmodi vindicativus judicialis est: adeoque privato convenire non potest, quia judicare est actus publicus. Idcirco nemo propria in causa talionem exercere, quemadmodum nec in proprià causâ judex esse potest. Neq; derivari, multò minus adstrui ex jure præsenti finamus jus recriminationis, quod pariter radicatum est in privata vindicta, si nimirū evagatur limites defensioni legitimè præscriptos: quippe injusta omnino talio est retorsio-
nis, cum totum negotium, quod præservare famam nostram creditur, inter privatos sub generali recriminationum iniquarum appellatio-
ne venire possit. Objectivè quippe circa rem illicitam versatur, &
qua delictum facit in foro quoque externo: quandoq; idem pri-
mam continet offensam aliorum, et si verò saltem secundam & causa-
tam, admodum tamen in propositum protrudit animum male fibi
conscium. Is enim, cui injuria dicitur, tenebatur eam dissimulare,
aut promtius condonare calumniatori, inter fraterna de-
hortamenta. Tantum abest, ut proximum iracundâ demen-
tatione magis irritare possit, quam nec ipse fibi fuerit imaginatus.
Quapropter ejusmodi retorsioni per modum talionis factæ,
cum sapientia majora mala parturiat, renuntiandum putamus. Tan-
dem indignatio ita præcipitat mentem ex crimine sive vero, sive falso,
nobis dicto, ut diffamanti qvodvis aliud aut levius, aut gravius repro-
namus, nedum à verberibus temperantes, quô ipsò manifestum cri-
men sit pœnam accersens. Sed controversia ventilatur: Utrum justa
illa talio, quam superius ad dictam rectam rationis, & ad leges forma-
tam monstravimus, sit usurpanda hodiennum coram judge? Ubi
affirmativa nobis placet.

X. Neque obstant, quæ de talionis simplicis naturâ allata fue-
runt; in quâ nulli licuit unquam, nec licebit cuiquam dispensare, sed
sine personarum respectu anima ponenda pro anima, vitaque exigen-
da malefici pro vita interfecti. Qvod & legum divinarum tabulæ se-
dulò nobis inculcant, quibus cautum; Vitam pro vita, dentem pro
dente ponat transgressor. Prout autem dispensatio nulla in prioris spe-
ciei delicto, nisi in culpaq; tutelæ moderamen adsit, admittenda, sic



Ebræorum Doctores, perspectis circumstantiis certis, circa dicta Exodi 21.
Levit. 24. rigorem legis hujus temperant commoda interpretatione. Quo
de videatur Bodinus de Republica Lib. VI. cap. Ult. Dum rigorose loquendi
formulae urgentur, eas proverbiali saltē locutione, quod poenæ delictis pro-
portionatæ esse debeant, plerique intelligunt; Ne scilicet scutico dignum
horribili flagello plectamus, personarumque in comparatione delictorum
habeatur respectus, nim. ne patet verberans filium idem luat, &c. Ab
Constantinus L'Empereur Bavakama Lib. VIII. §. 1. nō enim verba intelligenda
autumat, quo cum facere non possumus. Ipse enim suspensus cogitatione,
inquit, penes judicem fuisse talionis poenam corporalem pro diversitate cir-
cumstantiarum mutare, argumento legis. Exodi 21. v. 29. 30. Qvod & olim
Maimonidi in suo **רְבָל וּמִזְקָן** cap. 1. placuit. Si detruncat quis manum,
aut pedem proximi, inquit, id estimant secundum exemplum venundati
servi, computantes, quantum pretio veniret, cum non mancus, quanto mi-
nori, cum jam mancus; Quantum pretium diminutum, tantum derrunca-
to solvendum, de eo vero cum dicatur, oculus pro oculo, Heb. traditione,
aceperimus, hoc intelligendum esse, de satisfactione pecuniaria; quod vero
dicitur in lege, si labem impegerit proximo, eadem impingetur & ipsi; Levit.
XXIV. 19. non vult, ut illi mutiletur hoc, quod alium privavit, sed cum
dignus sit mutilatione, damnum solvat mutilato. Ita quoque penes Ro-
manos pacisci licuit delinqventi, circa solutionem pecunia, utrum pecunia
multam solvere, an idem sibi rumpi in proximo laesum mallet membrum.
Conf. Gellius Lib. 20. cap. 1. Noct. Attic. Item Thome Goodwini Moses &
Aaron de ritib Civil. & Ecclef. Heb. cum notis J.H. Reizii p. 444. Lib. V. de Con-
fess. & Confess. Nec repudiamus, quod est Josephi archaeol. Lib. IV. cap. 8.
Qui coecaverit alium, similia patiatur; privetur, quod privarit alios: nisi for-
tassis pecunias accipere voluerit, qui coecatus est, lege ei dante licentiam,
qui passus est, estimare passionis suæ casum. Sunt, qui ad stabiliendam ta-
lionem adducunt dictum Deuteronom. XIX. ubi DEUS testem falsum
atque pertinacem eodem malo jubet affici, quod subdolè proximo fuerat
machinatus, cui modò citatus *Josephus in archaeolog.* IV. cap. 8. annuit.
Venenum nullus Israelitarum habeat; Si vero quispiam hoc possidere in-
veniatur, morietur, hoc passurus, quod alter, contra quem probatur, ve-
nenum fuisse confectum. Verum nobis cum virum celeberrimo Pufen-
dorfo Lib. VIII. cap. 3. p. 1200. videtur reponi posse, has leges minus accu-
rate hic trahi, cum ea calumniantium poena modum vel mensuram talio-
nis excedat pro conatu completo malo repræsentato. Quamvis alias
poena

poena non sit iniqua, quare & Osiandro meritò fidem habemus egregiè in
notis ad Hug. G. de J. B. & P. Lib. II, cap. 20. p. 1162. commentato. Quo-
niam saltem in textu Deuteronomii legitimus scriptum: Aufer malum
illud de medio tuo. :כְּבָרַת הַרְעָה קְרֻבָּה illud non idè accipien-
dum esse personaliter, sed realiter, quasi diceret, aufer malum, scelus scil.
falsa accusationis: argente verò lege versiculò 21. animam pro anima, ocu-
lum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, fa-
cile quis in eam descenderet sententiam, talionem rigorosam stabiliti po-
tiùs, quam tolli, ac dilui; sed eleganter ac scitè laudatus autor memorat
citatiō locō, loqui legem de tali teste mendacii, qui simul violentia testis
existit, qui actu proximi oppressionis accusatur, & convincitur moliminiis ac
studii, ut proximus innocens opprimatur.

XI. Quis itaque illam infringet, ubi ingravescere magistratus cer-
nit homuncionem pravitatem? tenetur omnino ulteriores offensas graviorib-
us poenis refrenare. Unde *Isidorus Pelusiota Epist. 86*. Quod lege est
cautum, ut oculus pro oculo eruat, non est crudele, nec immane, si saltem
meditanitem proximo noxam compescat metus similis perpersionis, & ita
improbabilitatem reprimat, meritò hōc jure sancivit judex. Ita quoque grā-
viter animadversum legitur in nobilem quendam Zachoram, qvod refert
Dubravius lib. 22. Hisor. Bohemicæ p. 184. Is sacerdotem utrōque oculō
privans, ad Imperatorem, sententiæ auscultandæ causā, fuit deductus. Za-
choras, licet facinus, quod animi sui, irā captus, moderationem non ha-
buisset, excusare putasset, pecuniāque piaturum delictum sperasset, hanc ta-
men à Carolo V. reportabat; non posse in casu hoc talioni fatis fieri,
dum coeco oculus uterque in integrum restitui nequeat. Sed oportere
Zachoram eodem modō oculorum facere jacturam, neque aliter jus esse
æqvabile.

XII. Verūm ubi metus accrescentis malitiæ non est, meritò circum-
stantiarum quarundam habetur ratio. His enim modis rem in interrogandis
penis considerandam censemus, ne causam, personam, locum, tempus, qualitatem,
eventumque poenitius fusqve deque habeamus. *Vid. Joachimi Hop-
peri Tractat. de vera jurisprudentia ex editione Hermanni Conrigii Lib.
3. p. 192.* Causa consideranda venit, ut in verberibus, qvæ impunita sunt à
magistro illata, vel à Parente, puniuntur cùm quis per iram ab extraneo
pulsatus est. Persona: aliter liberi, aliter servi puniuntur. Locus facit, ut
non idem sacrilegium, ac furtum sit reputandum. Tempus discernit
emansorem à fugitivo. Qualitas, cùm factum aut sit atrocius, vel levius,

ut rixæ à grassatura, expilations à furto discerni solent. Eventus in non atrocibus facit, ut aliter conatus, aliter factum ipsum puniatur. Qvod si verò in sumendis poenis tanta sit habenda cautela, quantum magis in talione, cuius conceptum communem esse poenam, superius ostendimus. Neque ex ignorantia peccantibus talionis poenam dictitandam arbitramur; in tantum, quippe ignorantia imputationem tollit, in quantum hæc actionem reddit invitam. *Qvod Aristoteles lib. Mag. Moral. I. cap. XXXIV.* accuratè perstrinxit. Quandoque perpetrandi quid causa fuerit ignorantia, illud non sponte sit, neque quæpiam afficit injuriā. At cùm ipse quis sua causa sit ignorantia, perpetratique quidpiam ex ignorantia, cuius ipsi existit causa, plane is afficit injuriā alium, ac ejusmodi jure criminis urgetur, veluti in cibis evenit, vinō namque obruti si mali quid egerint, sine dubio adsciriunt injuriā; si scil. causa sua fuerint ignorantia. Alia adhuc datur ignorantia naturā, vel invincibilis, qualis in infantibus, qui nescii obleviantur debitis, parentes verberant: hæc autem naturalis inscitia non facit, ut ab actione infantes sint injusti, quapropter & in talibus talio exerceri nequit. *Conf. Pufendorfium Lib. I. cap. V. de J. N. & G. p. 77. §. 10. ¶ Henagim in Hug. Grotium de J. B. & P.* Aliter verò pronunciandum, si quæ fiant ex Proæcti, & destinari consiliō fædendi alterum; id quoque nec dici meretur injuria, nisi inde profecta fuerit, unde potius error per inscitiam, & negligenciam appellandus, quam peccatum atque flagitium spontaneitatis, quod, ne in iis luxuriari nimis videcamur. Justinianeo ordini relinquisimus, tres gradus hujus constituenti, quos citat sæpe laudatus *Pufendorfius p. 119. Lib. V. de J. N. & Gentium.*

XII. Quotquot verò Christiano sunt insigniti nomine, de rigore, hujus omnino remittant, necesse est. Tantam enim talionem statuere in poenitentem peccatorem, quantum in impoenitentem, maxime in justum foret. Sic etiam ipsæ legum sacrarum pandectæ Summi rerum Arbitrii, ac Moderatoris eo in casu leguntur dispensasse. Alio quippe in loco, quod erat ablatus, fui in duplo, alio, in quadruplo rependere ac reddere cogebatur. Item considerabantur rerum qualitates ablatae, & pro ejusdem diversitate, atq; utilitate subiecti, vel exasperabantur, vel mitigabantur poenæ. Majores enim penas dabat bovem, quam ovem auferens: ratio est in aprico; majus siquidem damnum redundabat ex ablato in possessorem (justum scilicet) magni, quam exigui pretii. Eleganter ideo ac singulari quantumdam judicij acrimoniâ *Constantinus L'Empereur, quem citat J. A. Osiander in not. ad H. Grot. de J. B. & P.*, non sine autoritate Talmudis proposuit *cap. VII. §. 1.* dum capita Exodi

Exod. XXII. Levit. XVI. & Exodi XXI. optimè explicat atq; conciliat, ita, inquit, comparata Judæorum erat ταύτη η θεία, seu talio, ne identitatis, sive similitudinis, sed analogiam approbarint, non oculum absolute pro oculo, sed pretium saltem à lèdente oculum alterius exigentes, pretiumq; pro usu atq; præstantia membris lèsi vel adaugentes, vel minuentes, Conf. Targ. Jonat. Deut. XIX. 21. & R. Salomon, ibid.

XIV. Quamvis igitur istam judæorum, quam modò adduximus, ceu sanam applectamur sententiam, aliam tamen aliorum maximè dissonam rectè repudiamus, qva scil. vindictæ privata hos accusat luculentissimè, si illud ex Babakama cap. 8. Halac. 6. legeris, impingat qvis plagam proximo, dat ipsi solidam. Et Rabbi Juda sic habet: det ipsi minam סטרו ניתן לו מאתו זון si maxilla impegerit, det ipsi ducentos Zuzæos, si altera manu, quadringtonos: tamen si dignitatis populi Judaici habebatur respectus, omne hinc statuminata hæc talione identitatis, ex animis illorum exsulabat mansuetudinis ac misericordiæ studium, qvod latius patet in Gemaristis ad verba citata, quo de eiam Maimonides in suo חבל וטוק cap. XII. XIII. כבורי לפ' נאכל statuendas esse multas secundum dignitatem personæ læse, si nim. ex stirpe Judaica sit, penes. Hebræos in more, ac legibus, statutisq; positum fuisse, ita ut pauperimi qviq; Israelitarum reputandi essent generofissimi, qvoniā oriundi ex Abrahamo, attestante Rab. Akibab, quem citat Lightfoot in horis hebraicis & Talmudicis revis. à Carpz. p. 282. Renititur omnino mirificè rigorosa hæc talio mandato Augustissimi Servatoris nostri, qvod suis injunxerat asseclis, ne malo resistant, malum malo rependant, tunicamq; auferentii relinqvant. Qvæ qvidem cum grano salis accipienda; sermo qvippe Servatoris erat de vindicta privata, malle se nim. ut alteri tunicam linquamus, qvam si raptorem interficiamus, aut jus nimis propterea protrahamus: Vindicat itaque nostræ salutis Autor legem talionis à corruptelis Judæorum, nec refellit, Conf. J. Adam. Ofiand. in not. ad H.G. de J.B. & P. Lib. II. cap. XX. p. 1139. M. D. Wendelinus Philosoph. Moral. Lib. I. de recta vita cap. XXX. p. 950. §. 67.

XV. Neq; verò hinc Anabaptistarum sententia patrocinamur, omne à Salvatore talionem sublatam esse vehementer conten- dētium, & adeo extendentium Salvatoris mandatum suprà addu- ctum, ut ne quidem publicæ vindictæ relinqatur locus, nec per- sonis magistratus, in eminentia constitutis, usus gladii permitta- tur. Nos enim talionem adeo non sublatam esse defendimus, ut potius eandem à corruptelis traditionum Judaicarum emenda- tam, atque vindicatam statum inuenimus. Stipitis enim est, nec ratio- ne p̄aditi, nullam injuriam à se, suisq;e, propulsare nec velle, nec audere licetis mediis coram magistratu vindicare. Neq; hoc ex privata cupiditate vindictæ proficiscatur, necesse est; sed ex dile- ctione commodi publici, ut ita malitia ponatur obex, talione tali constituta. Quid? qvōd qvilibet sibi sit proximus, malumq;e ac- vim vi repellere debeat, ubi cessant judicia vel momentanea, ut qvando in extremo periculo judicis copia non est, vel continuè, dūm iis qvis versatur in locis, mari scil. solitudinibusq;e, in quibus nulla est civitas. Vide Grot. Lib. I. Cap. 3. Thes. 2. Quod si verò qvis sibi vim inferre cum vitæ dispendio patiatur, vindicem ne- glectæ tutelæ, omnino licet, habebit DEUM, cui, perdita per ne- gligentiam vitæ reddenda est ratio. Quibus satis superq;e liqvet, nec talionem adeo esse sublatam, qvin ista subindē tam à privata, qvam à publica persona ritè exerceri liceat. Is autem, qvi jure suo legitimo utitur, injuriam non facit. Consul. Gassendus Syntag. Philos. Epicuri part. 3. c. 26. 27. Hæc etiam prolixius pertractant Brückn. Quæst. Illust. Cent. III. Quæst. XLIX. p. 332. Et quos citavit idem Gerhard. Tom. 6. LL. CC. L. et XXII. de Magistratu Politico, §. 259. p. 947. 951. It. Henniges in Observat. in H. G. Lib. II. cap. XX. p. 854. Zige- rus in not. ad H. G. p. 91. Job. Adam. Osiander Annotat. in Lib. H. G. Lib. I. cap. 2. p. 379.

an(O)sc



Ung. VI 59




f

56.

VD 17.

26.ii.2000 RU






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-326791-p0020-7

DFG



Q. D. B. V.
JUS TALIONIS,

PRÆSIDE

M. HERMANNO WITTE,
Riga-Livono,

Publicæ eruditorum disquisitioni
subjiciet

RESPONDENS,

MARTINUS SCHICKERDT,
Bistricio Transylvanus,,

Die XXII. Novembris. Anno M DC XC.

H. L. Q. C.

WITTEMBERGÆ,
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.